

INTRODUCTIO  
In  
**THEATRUM**  
**ASTRONOMICUM.**

Quod in honorem Cœlestium Opificis  
D. O. M.

Nec non totius Orbis utilitatem,

AUSPICIO  
Serenissimi & Potentissimi Regis Daniae  
& Norvegiae,

Dn. CHRISTIANI QVARTI

Havnæ Metropolis Daniæ modò instauratur, &  
tam miraculosè quam operosè construitur.

*Strictè cum suis Requisitis delineata.*

à

CHRISTIANO SEVERINO LONGO-

montano Super: Mathem: in Regia Acad:  
Havn: Professore publ:

*Cui Appendix loco accedit brevis Discursus,*

De

I Aeqvatione Dicí naturalis|

II Parallaxibus } Siderum.

III Refractionibus }

---

HAFNIAE, Typis Sartorianis, An. 1639.

PSALMUS

Psalm : 19.

Cœli enarrant Gloriam DEI fortis, & opus  
manuum ejus indicat Expanseum eorum.

Cicero lib. 2. de Natura Deorum.

Admirabilem ordinem cœlestem, incredibili-  
lemq; motuum constantiam, ex qua conservatio &  
salus omnium omnis oritur, qui vacare mente pu-  
tat, is ipse mentis expers habendus est.

Ovid: in Fast:

Felices enim, quibus bac cognoscere primum  
Inq, domos superas scandere cura fuit.

Perf:

O curva in terras animæ & cœlestium inanes!



SERENISSIMO ET POTENTIS-  
SIMO DANIAE ET NORVEGIAE  
REGI

Dn. CHRISTIANO QVARTO  
DOMINO MEO CLEMEN-  
TISSIMO.



Vod Plinius ait : Reges innumeri  
honore Artium celebrantur, & has  
in ostentatione proferebant, opem  
& immortalitatem sibi per illas  
prorogari arbitrantes; Id quia de  
**REGIA MAIESTATE VESTRA** jure merito  
dici poterit, quæ adeò etiam Mathematicas Disci-  
plinas, & imprimis Astronomiam omnium Ar-  
tium Reginam in honore, & delicijs habet, ut inde  
Augustissimo Nomi suu æternum apud nos mo-  
numentum statuminet: Proinde non vereor ite-  
rum hunc Libellum de vera Quadratura circuli,  
seu absolutissima proportione Circuli peripheriae  
ad suam Diametrum, post quinquennium abhinc,

A

RE

REGIÆ VESTRÆ MAIESTATI submissæ insi-  
nuare, cum nova Accessione subnexâ, de ejusdem  
facillimâ Demonstratione, & in Numeros didu-  
ctione, pro hisce, qui numeros didicerût. Cujus qui-  
dè Cyclometriæ Inventum à plerisq; in Orbe Ma-  
thematicis frustrâ hactenus est tentatum; sed  
nunc, Divino auxilio, tot Demonstrationibus è  
Symmetria lineâ rectâ ac circularis, quæ certò in  
Natura est, luce à me expositum, ut nemo, quod  
sciam, calamus hactenus directè in illud strinxe-  
rit. Verùm si quis Mathematicus posthac Refu-  
tationem ejus, demonstrationibus meis ordine  
opponendam, suscepturnus, sententiam suam pari-  
ter ut ego, publicandam ita corroboraverit, ut  
Apologiâ pro defensione Inventionis meæ expiari,  
vel refelli nequeat, & prorsus elidi; tunc equidem  
nomen Mathematici deinceps amittere, & Pro-  
fessionem meam sponte resignare paratus sum.  
Tantam enim fiduciam Inventio hæc mea mibi  
addit, postquam septies jam ex continua proportionis natura sedulò quærenti sese obtulerit,  
medio certè Inventorum Archimedis, præ omni-  
um aliorum Inventionibus, qui unquam in hoc  
argumento laborârunt, proximam. Proinde  
si nul-

si nulla machinatio Veritatem Inventionis hujus  
demoliri & abolere valeat, quis non videt, P A-  
TRIÆ HUIC, adeòq; SERENISSIMÆ  
MAIESTATI VESTRÆ eximiam, imò  
perpetuam laudem, etiam ex tam raro Invento  
apud omnem literatam Posteritatem accessu-  
ram? Interim quia valde animum meum pre-  
meret, modo suspicio aliqua & quasi desperatio  
apud minus intelligentes, talis Inventionis ve-  
ritati quicquam detraheret: idcircò vellem,  
O REX, PRÆSIDIUM ET DECUS  
meum, adhuc dum exiguum tempus senio huic  
meo, fortè, dispensatione Divinâ, superst̄, ut no-  
biliſſimi omnium hujus Inventi veritas liberè po-  
tius à contradicentium injuria, sub REGIO  
VESTRO PRÆSIDIO vindicaretur,  
quām vel nimiā mēā instandi verecundiā; vel  
potiūs, quod sub tanto REGE inventum est,  
nimiā proferendi ignorātiā, succumberet. Æter-  
nus ille REX REGUM & DOMINUS  
Dominantium REGEM NOSTRUM in-  
clytum DOMINUM CHRISTIANUM  
QVARTUM Dominum meum Clemen-  
tissimum clementissimè conservet, & vitam

*MAESTATIS ejus prosperam ad annos  
usq; Nestoreos benignè, in horum Regnorum sa-  
lutem, proroget. HAVNIAE, Calend: Decemb:  
Anni I. C. M DC XXXIX.*

*SACRÆ MAESTATIS  
VESTRÆ*

*Subiectissimus Servus*

*Christianus Severini F:  
Longomontanus Cimber.*



Vemadmodum in aliis Artibus ad perfectionem suam unquam perducendis, non solum Theoria quædā, sed praxis cum experientia ubiq; coniungenda, requiritur: sic in omnium nobilissimia scientia ASTRONOMIA, nisi observandorum siderum eximiam qvispiā peritiam sibi comparaverit, dum se in hisce ad cœlum potius strenue jugiterq; datâ occasione exercet, quam motuum cœlestium restitutionem in Musæo ad fornacem meditatur, idq; propriâ qualicunq; speculacione, citra cœlestem experientiam; Profectò hic dum aliis observandi leges præscribere satagit, oleum, ut dicitur, & operam in motibus siderum restituendis perdet, siquidem praxis tali Theoriæ ubiq, non respondet.

Cæterum hæc peritia non futuro Astronomo adsciscitur, aut addiscitur, ex sola in Astra intuitu, aut, ut quidam sufficere putant, filari per ea extensione: sed idoneis instrumentis, minimè puerilibus, verum ingentibus, & ideò vix absq; Regiis sumptibus comparandis, dum scilicet non nisi in sua sufficiente magnitudine, conveniente materiâ, formâ & fabricâ, maturâ, accuratâ, exqvisitâq; diligentia, à perito Artifice fuerint elaborata, & qvævis suo usui destinata; Loca deniq; pro singulorum ad cœlum, & inter se, dispositio[n]e, convenienter selecta, ordinata, atq; exstructa,

Neq; hinc Theoriam excludi aut debere, aut posse putamus, quæ ex Arithmeticā & Geometriā, tanquam alis & scalis, ut Plato loquitur, ortum ducit, quibus tandem Philomathis ascensus in cœlum paratur; Primò ad Sphæricam Doctrinam; Deinde Planetaryrum hypotheses, prout à peritis antecessoribus Astronomis traditæ sunt, ritè percipiendum, & juxta Divinā Triangulorum analysin, in numeros resolvendum, ut omnia ad optatam scientiam in Astronomia adipiscendam, dirigantur. Quæ quidem scientia Tyroni philomatæ jugiter sensimq; cum ipsa observandi sidera præxi, instillatur, & quasi connalcitur. *Quis enim et abit, quorum finem & utilitatem ignorare velit?* Ut autem quæ heic proponentur initio ordine respondent, brevi commemoratione *nata à Iurijudæ*, de singulis deinceps sumus acturi.

## SECTIO PRIMA.

DE


*Instrumentis Astronomicis maximè utilibus;*  
*ipsorum magnitudine in genere, & usus in-*  
*gulorum in specie.*

Tria sunt Organa, quibus Astronomia debitè instauranda & continuada minime carere poterit. *Quadrans Azimuthalis, Sextans, & Armilla Äquatoreæ, è sphera nostra;* cuius ideā in plano heic adjicimus, desumenda; quæ quidē singula tantæ erunt magnitudinis, ut non solum prima minuta, seu partes unius gradus sexagesimæ, promptè in suo Divisionis limbo exhibeantur.

beane

beant: Sed etiam minutarum partes, ab  $\frac{1}{2}$  usq; ad  $\frac{5}{6}$ ,  
idq; transversali Divisione accuratâ, & quâ fieri potest,  
solertiâ ubiq; administrandâ.

*TIPIUS SPHÆRÆ ARMILLARIS VETERUM.*



*Nomina Circulorum.*

K G H. Meridianus, qui Spheram hanc in propria forma continet.

A. Æqvator, cuius poli H, L, cum circulo transversali Declinatioinis D, & coluro solstitiali O, A, C.

B Zodiacus, cuius poli O, N, cum circulo transversali latitudinis E.

F Horizon, cuius poli G, M, cum circulo transversali Altitudinis O.

E Circulus positionis.

Ad hanc autem Instrumentorum, etiam in hisce minutorum partibus exhibendis, sufficientiam, necessariò requiritur, ut radius singulorum benè ad octo pedes Geometricos se extendat, qvanti Uraniburgi olim fuere. & adhuc majora apud nos, Regiâ, cù DEO, provisione, futura. De cæteris autem non plura nobis heic præcipienda; siquidem tām hæc ipsa Organa, quām ipsorum fabrica, quo ad Dioptras, & alia, in splendida ista Astronomia Mechanica Dni Tychonis nostri universaliter compræhenduntur; saltim usum singulorum brevitèr heic perstringemus.

Quadrans Azimuthalis, super suo fulcro ita suspenditur, ut per horizontem, commodè supernè circumducendum, devolutus, altitudinem sideris scorsim in quovis imperato Circulo verticali Azimutha verò seu distantias à Meridiano simul in Horizonte, meti-

metiatur, modò ea requiruntur. Velut in sphæra adje<sup>t</sup>á Qvadrans applicatus Meridiano MGH, metiatur altitudinem KG, in circulo verticali, vel alii verticali GM, ubi simul quodammodo observari poterit & altitudo sideris, & ejus distantia à Meridiano K. quam Azimuth Arabes vocant,

Cæterum id hoc loco notandum, & pluribus infra confirmandum, quod coelestium observationum periti jure excipiunt, nempè vix absq; insigni seu satis notabili errore, posse utrumq; per Quadrantem, Altitudinem scilicet simul & Azymuth commode observari, qvandoquidem visus in competenti instrumento Quadrantali sic quadrifariam per Cylindrum visorium distrahitur, præterquam quòd Azimutha ista seu gradus horizontales, celeritatem primi motū, vix hoc modo observabilem, insequantur Ob quas causas Dn. Tycho in Hyæna, licet duabus insignibus Quadrantibus Azimuthalibus, [præter alios] instructus erat: raro tamen iis Azimutha inter observandum adhibuit, quod vix unquam nisi in Meridiano ad idem tempus Azimutha ista in utroq; instrumento concordârunt.

Sed fortè heic aliquis dicat: Loco Cylindri in Qvadrante foramen substitui posse, & similiter inferius; ut per utrumq; stella uno intuitu observanti se conspiciendam præbeat, qvâ formâ Dioptricâ pleriq; veteres usi sunt; sic namq; simul & altitudinem & Azi-

Azimuth Sideris absque distractione visus metiri datur. Ad qvod respondeo : id in Sole qvidem radios suos per dictum foramen, & adversum, transmittente, qvodammodo fieri posse : At Stellas utrinq; per tale foramen absq; errore observare, id impossibile, ab experientia judico.

Atq; hinc conjectare licet, quam certitudinem Astronomiae Restitutio habitura esset, si simul è transitu fixæ stellæ notæ per meridianum, & altitudinem atq; Azimuth ignoti alicujus Phœnomeni vel planetæ, primùm distantia ipsorum, ( siquidem stellæ in metidiana notæ , datâ Declinatione, datur etiam absq; observatione altitudo ) è datis altitudinibus cum differentia Azimuthali; lege trianguli sphærici, inquiratur; Deinde ex his ignoti Declinatio, & Assensio recta, & tandem ex illis longitudo & latitudo. Tales enim observationes, qvæ unico momento meritò fierent , distractionem rapidissimâ conversione primi mobilis, ut suprà dixi, multifariam patiuntur, dum nunc transitus stellæ notæ per meridianum, nunc altitudo ignotæ unà cum Azimutho, simul unico observantis oculo applicarentur. Theoria qvidem hec bona est, sed perperam in praxin descendit.

Hoc igitur incommodum Dn. Tycho noster omnium ætatum Astronomus, ab ingenio, apparatu & experienciâ facile Princeps, ut maturè declinaret, nec

nec amplius Regiomontani, & qvorundam Antecessorum vestigiis in hujusmodi observandi praxi, insisteret, nullas suas observationes ad Astronomiae & stitutionem facturas, soli raptui priuvi mobilis permittendas putavit, ac proinde ne dicta distractio iisdem incommodaret, Sextantem affabré fieri fecit, in quo simul utrumq; phænomenon, ministerio duorum circa eundem Oblervatorum, absq; omni primi motus violentâ distractione intermiscentâ, capiuntur, quo ad distantiam. De quo Sextante plura infrà,

Qvis igitur, dicas, usus Quadrantis Azimuthalis erit? Respondeo: Per magnus, præterea, qvovis modo. Nam præterquam quod Quadrans in Parallaxibus & refractionibus rimandis (de qvibus posteà) multum præstat, etiam per illum Poli loci Elevatio cum primis qværitur. Itim ex meridianâ altitudine in Quadrante habendâ, Siderum Solisq; Declinatio [ unde duntaxat locus hujus patet] unâ cum Troporum distantia utrinq; ab Æqvatore, hoc est, obliquitas maxima Eclipticæ, ab eodem Æqvatore. Quæ ferè Astronomiae instaurandæ fundamenta sunt. Deniq; in Quadrante ac qvovis Circulo verticali, altitudines fixarum pro temporibus ad data observationum momenta commode observantur, in toto hemisphærio, sicubi Circulus Æqvatoris hujus Armillis adhærens, nec nisi ad semissem se extendens, defecerit. Cum aliis Quadrantis usibus vix heic recensendis.

Quia igitur solus Quadrans super axe suo in uno  
loco volubilis, Astronomiæ restorationi non sufficiat,  
velut suprà modò differuimus, proinde Sextans eidem  
commodissimè additur, primò à Dno Tychone & in-  
ventus, & suâ fabricâ ad usus perfectionem deductus.  
Et certè qvemadmodum hujus instrumenti fabrica,  
omnia quæ cælum rotunditate luâ æmulantur, facilli-  
ma est, ut in Astronomia Mechanica Dn Tychonis,  
nostrâq; Danica videre licet; sic usum in Distantiis si-  
derum exqvistissimè, per duos observatores; cœlitus  
rimandis, insignem præstat. Etenim quum observa-  
tio in eo unico momento absq; ulla, à primo mobili,  
distractiōne (de qua anteà meritò conquesti sumus)  
fiat, ubi distantia Phœnomeni ignoti ab alio noto in-  
notescit; igitur qvādo accesserit vel Declinatio ignoti  
ex altitudine meridiana; vel observatio ne in Armillis  
Æqvatoreis; vel tandem distantia à duabus stellis notis,  
& qvasi forma triangula ri cum ignota qvodammodo  
dispositis, nulla mora est, quin per Probl:l.2 sph:Astr.  
D. ignoti Phœnomeni longitudo cum latitudine di-  
spalescat, dum scilicet analysis Triangulorum sphæri-  
corum hujus quæsiti pragmatiæ ritè applicetur. Nam  
hâc methodo, quæ omnium in Astronomia practi-  
ca est certissima, numerum millenarium stellarum  
fixarum olim in Hvæna apud Dominum Tychonem  
ceclo conformium restituimus, præter innumeræ ferè  
observationes ad Planetas, quâvis intereâ occasione  
datâ.

Armill-

Armillæ Aeqatoreæ restant, similitè ex sphæra  
Armillari suprà positâ, defumendæ: qvæ quandoqui-  
dem pluribus circulis constant, numero plurali expri-  
muntur. Qui enim axi mundano incumbit, Declina-  
tiones Solis & Siderum, in omni conspicua coeli con-  
versione, duobus pinnacidiis oppositis, certitudinis  
causâ metitur, ad Cylindrum visorium in medio axis  
collocatum. Qvin etiam per hunc Circulum Armil-  
larem, longè certius refractiones Siderum juxta hori-  
zontem, quatenus se Declinationi ingerunt, perq; uni-  
cum Observatorem, depræhenduntur, quâm in Qva-  
drante volubili, ex altitudine & azimutho simul, quas  
uno tempore ab uno Observatore ritè absq; errore  
asseQUI impossibile fore antea inauimus, ubi de Qua-  
drante protestati sumus. Alter circulus, qui in justa  
dispositione dimidium circulum Aequatoris repræ-  
sentet, tantò infra Horizontem depressorem, qvan-  
tum supra eundem Aequator exstat. Velut ex sphæra  
Armillari adjectâ colligitur, tum quoq; in Astronom:  
Mechanica Dn. Tychonis ulteriùs cernitur, ubi suis  
fulcris innitenti duo pinnacia applicâtur, quorū uno  
Tempora exquisitè per Gradus ac Minuta observan-  
tur, stellis scilicet fixis mediantibus, idq; admonitione  
qvadam vocali, dum alibi in confinio observata, qvæ  
ab aliis fiunt, ad hæc Tempora restringantur. Quæ  
Tempora posteà cum iis, qvæ in Horologio fiant, con-  
ferantur, ad minutorum quoq; indicationem, ultra

Horas sollerter fabrefacto Utroq; autem pinnacido duobus observatoribus utendum, si quando differentiam ascensionalem seu ascensionem rectam ignoti sideris a noto exantlare libuerit. Qvamvis hanc praxin non nihil incertorem eâ esse depræhendimus, qvæ a distantiis Siderum per Sextantem in lucem prodit.

Hæc tria commemorata Organa, pro justa Astronomiæ restauratione, & continuatione maximè ex materia inalterabili constare debent, tum qvoq; eâ magnitudine & sollerti fabricâ, ut antea admonui, & ulterius mox sequente Sectione indicandum. Quadrantem autem & Sextantem ( qvem portatilem esse oportet ) singulos duplicari oportet, ut vel sic observationes per hæc Organa exantlandæ, inter se cōferriri possint, & vitia si in aliquo ejusdem speciei deprehensa fuerint, emendari ; Armillæ autem per oppositam suam Dioptram, errores, si qui inter obser-vandum deprehensi fuerint, mox arguunt.

Tantum de Organis Astronomiæ excolendæ sufficientibus, decq; ipsorum necessaria duplicatione, & mutua emendatione ; Unde facile intelligitur, qvàm ineptum fuerit unici Quadrantis adminiculo indubias ac sufficienes in Astronomia Observatio-nes polliceri velle, ut ut Demonstrationi qvodammo-do pro inexercitato, consonum videri possit. Nam licet in Proverbium cadit : *Quæ fieri possunt paucioribus, in ijs pluribus non opus esse*; tamen id adjiciendum. Si ergo bene

Deniq;

Deniq; si alia Organæ, ut Armillæ Zodiacales, qvi-  
bus Hipparchus & posteū Ptolemæus Alexandriae in  
Ægypto usus est; itim Instrumentum parallaticum  
Ptolemei & Copernici; Radius deniq; at alia, ostentâ-  
di gratiâ, commemoratis adjecta fuerint, sciendum  
est, nec ea prorsus ad Astronomiam necessaria esse, nec  
singula horum absq; errore usurpari, velut facile, modò  
opus fuerit, ostenderemus.

## SECTIO SECUNDA

### *DE Loco, atq; dispositione Instrumentorum predictorum.*

Locum pro Organorum enumeratorum colloca-  
tione, æditum esse oportet, & qvidem in tantam altitu-  
dinem elevatum, ut horizon undiq;, qvoad fieri potest,  
aspectui pateat, qvalis Insula Hvæna est; item collis  
prope Havniam, VValdby mons appellatus; Nunc ve-  
rò Turris illa hic Havniæ, qvæ, cū B. D. & SERENIS-  
SIMI REGIS nostri auspicio, modò exædificatur, cui  
Templum Regentiæ, pro Studiosis, additur; utrūq; (si  
è divinâ gratiâ, perfectionem suam assequtum fuerit)  
tantum erit, tantâq; admirabilis structuræ magnificen-  
tiâ, ut nupiam per Europam simile aut secundum in-  
veniatur: Nec sumus à Civitatis caminis passim exha-  
lans, observationibus Siderū è Turri ista futuris, sensibi-  
liter nocebit, modò alias Sidera transpareat. Nam nec  
nubeculæ suo interventu, sensibiles refractiones inge-  
runt; velut diligentè nos olim Uraniburgi id atten-  
disse memini.

Qvan-

Quanquam autem è profundo in terra puto, stellas  
interdiù visibiles esse quidam perhibent. Unde illud  
Virgilianum Ænigma in Eclogis natum putant.

*Dic qvibus in terris; & eris mibi magnus Apollo  
Tres pateat cœli spacium non amplius ulnas:  
Tamen id nec satis Experientiæ convenit, nec Astrono-  
miam restaurandam juvat, quæ potius cœlum sidere-  
um undiq, in suo hemisphærio conversivè contem-  
plandum exposcit.*

Porrò præstat aream fundamentalem, ubi orga-  
na ista quinque, quippè duo Quadrantes, & totidem  
Sextantes unâ cum Armillis Æquatoreis, exqvisitè ad  
lineam meridianam, super axem Mundi collocandis,  
rotundam esse, & plano horizontis adæqvatam, tantæ  
qvidem amplitudinis, ut singula instrumenta, Cryptas  
suas habeant, qvibus inclusa liberè seorsim movean-  
tur, & sic coelestibus phænomenis ritè accommo-  
dentur.

Locum autem pro hisce instrumentis deputatum  
( dum pro eo Turris, ut dictum, rotunda paratur, in  
cujus summitate illa locanda veniunt; ) in Diametro  
suâ 24 uln: Seiland: hoc est, 60 pedes G: habiturum,  
Regia singularis cura atq; solertia prædestinaverat; Et  
ideo in sua periphæria  $75\frac{8}{25}$  uln: quam proximè vel  
præcile uln: v  $5685\frac{1587}{1849}$ . Dum enim rotunda ista area  
pro Organis hisce recipiendis in modum hexagoni  
distribuitur, ita ut in medio Hypogæum qvæsi, pro  
obser-

observationibus fiat, ex quo ad singula Organa ut fuerint circum circa disposita, observatum excurrant, redeantq; ; si igitur huic in Diametro g ulnæ tribuuntur, pro Instrumentorum Cryptis, reliqua spacia sufficiunt; qvæ Quadrantes singuli in suis semidiam.  $3\frac{1}{2}$  ul: Sextantes 3 uln. in suis radiis. Et Armillæ circiter 4 uln. seu i o ped. in sua Diam: reqvirunt; cunctis sic pulcerimo ordine disponendis.

Nec Turrim hanc aliâ formâ, qvam rotundâ, esse oportuit, nisi linea meridiana, & Instrumentorum ad eam dispositio in angulum deformem inclinaret, & ut laqueare, qvod in modum testudinis ita exsurgendo intertextitur, ut curru assensus in sublimitatem Turris pro R. M. fiat, amplitudinem suam, firmitudemq; justam nanisceretur.

Hæc omnia, & qvibus mediis seu Operculis Organa illa ab injuria ventorum & imbrium muniantur, rursusq; denudentur, & usui accommodentur, qvia rectius nunc ex qvodam Modello, sed suo tempore, (colorum Opifice adjuvante) coram conspicientur, qvo circa hisce in præsentiarum contenti, ad Observatores, & horum qualitates describendas descendamus.

### SECTIO TERTIA

#### DE

Observatorum cœlestium ingenio, institutione,  
scientia, Diligentia, numero, & alijs requisitis.

Hactenus de Organis ad Sidera observandum  
idoneis & sufficientibus; & oportuna ipsorum collo-

C

catio-

catione ; Nunc ordo exigit , ut media iisdem rite  
usurpandis adjungamus ; *res siqvidem propriè ab  
usu suo estimanda venit.* Hæc autem Organica  
media , qvamvis homines qvivis ingeniosi , licet li-  
terarum rudes , tanq; è medio ferè plebis , ad  
hoc ministerium feligi poterint , qvi oculos per In-  
strumenta in Astra elevantes , ipsorum loca denota-  
bunt ; tamen si exdem observationes ad destinatum  
Astronomiæ finem perducentur , ab iis Personis po-  
tissimum administrari debent , qvi præter optima in-  
genii dona , literis non leviter imbuti , pulcherrimam  
cœlestium scientiam posteà animis suis rite applica-  
re , ac literis , qvæ in ea præstiterunt , demandare  
valeant .

Cæterum ut rem paulò altius perscrutemur ,  
dicimus hominem nontām à primæva originatione  
Humo , ut pleriq; putant , aut ab ὥμως simul , qvod  
homo animal sociale sit , ut vult Scaliger ; qvām à  
Græca voce τὸ ὄμοις simile scilicet , idq; appellatione  
hominis inter omnia animantia , conveniēti (simā ; si-  
qvidem inter mentem hominis ( dū mens cujusq; est  
is qvisq; , ut Cicero in Somn : Scip : argutè loquitur ) &  
res objectas , mente seu intellectu ritè percipiendas , si-  
militudinem qvādam seu analogiam intercedere ne-  
cessēt , ut qvoq; Philosophi volunt ; Hinc est , qvod  
Cicero tum alibi , tum lib. 4 de Finib: dicit : *Homini  
in situam vel potius innatam cupiditatem esse scientiæ.*

Et

Et qvia nulla objecta Cælestibus præstantiora sunt, idem Cicero, lib. 2 de natura Deorum, in hoc effatu resolvitur: *Homo ortus est ad mundum contemplandum.* Nam à cœlestibus velut hominis Entheis partibus, non digreditur qvi in 5 sua Tuscul. qvæst: verè fatetur, & latè differit. *Physicam ex contemplatione rerum cœlestium;* Plato verò in suo Timeo, totam Philosophiam inde ortam esse affirmat.

Tantum de cognitione humani ingenii cum Cœlestibus. At qvemadmodum *non ex omni ligno fit Mercurius*, sic certè ab experientâ liqvet, qvòd non è qvovis Studio etiam à literis bene priùs instructo, cœlestium Observator & cultor idoneus egregiusq; evadat, qvippè cuius ingenium & qvasi Genius seu indoles, Mathematum addiscendorum amore, minimè à primis annis tenetur. Quod qvidem in Hvæna 42 annis abhinc, apud Nobilissimum omnis ævi Astronomum Dn. Tychonem Brahe, octennii servitio in tyrocinio Astronomico, probè senseram, qvi qvidem interea in eodem exercitio perplures Studiosos aluerat, sed multos spacio breviori, ad dimissionem pronos, eò qvod non tam eruditio in aliis, qvam Genius ingeniumq; qvorundam, nec propriæ, nec viri illius exspectationi, ad operam Astronomicam obeundam, satis responderit.

Quin etiam si labor improbus qvōsdam eorum ad annos plures perductus, tam in obſervando qvām calculando expeditos qvodammodo reddidit: tamen qvia deſtituebantur ē ſcientiā, qvæ maxima eſſet, qvā ſcīlicet obſervata cœleſtia ē φόδω ſeu uſui ſuo in dēdōμένοις Triangulorum, inde formandis, & rite cum cœleſtibus confeſendis, applicarent, ut Astronomiæ Veterum ſi qvando cæſpitanti, novis verisq; obſervationibvs ſuis ſuccurrerent; proindē hi manus Tabulæ tandem abſtraxerunt, & Astronomiæ extreum vale dixerunt; ſolūm iis remanentibus, & ſtudio huic Astronomico perpetuò deinceps adhærentibus, qvippe qvos non modò ingenium, ſed dignitas qvoq; ac magnitudo rerum, qvæ in eo trac tantur, ad uſum, in Philosophia, & omni vita, propè neceſſarium, meritò affecerat.

Qvocirca ingenia ad Astronomiam im posterum colendum ſeligenda ſunt, qvæ in primis annis Mathe matum addiſcendorum amore, qvavis datâ occaſione, capiuntur: ut in ſcholis Arithmeticæ, & cognitio nis Globi ſeu Sphæræ materialis, (ut vocant): in Gym naſiis, Elementorum Euclidis; ſed in Academia tan dem hæc omnia pleniū perfectiūlq; ut excolantur, opera danda eſt. Qvibusimprimis analyſis Triangu lorum tam planorum qvām sphæricorum adjiciatur, ſine qvā praxis omnis langvet, aut nulla in Astrono mia futura eſt. De qvibus omnibus plura heic diſſe renda.

renda forent, nisi ante paucos annos in Disput: publ. pro gradu Baccalaureatus, methodum Mathefeos ritè percipiendæ, per totam ipsius Cyclopædiam derivâsem; ad qvam nunc Philomathas remitto, haud absq; ipsorum usu aliquo revolvendam, etiam in Scholis, qvibus qvoq; juventutis erga Artes Mathematicas incitandæ causâ, erat destinata. Nec enim dubium est, qvin plurima ingenia reperiantur, qvæ Mathematis addiscendis idonea forent, modò in primâ Adolescenciatâ illis assuescerent.

Tales profectò juvenes ab indole & ingenio priùs, deinde in Mathematis eruditione præparati, digni sunt, qvi Turrim Regiam, tâm splendidè pro Astronomia deinceps qvoq; apud nos cotinuandâ, exsurgentem, præ aliis conscendant: Hujus siqvidem foribus illud Platonicum meritò adscribi oporteret: Αγεωμέτρητος δεῖσις εἰσίτο.

Hiverò dum Doctrinam Sphæricam anteâ probè haulerint, Stellasq; in suis Asterismis cœlo ipso (mediante Globo cœlesti) monstrare noverint, & ab hisce fixis, Planetas singulos pariter in cœlo cognoscendos, discernere, facile ad praxin producuntur, cœlestia, beneficio Instrumentorum Regiorum, observandi, & tandem talia observata ad usum, in singulis, juxta ordinem in seqq. Sectionibus applicandi, præsertim ubi gnarum aliquem Ductorem nacti fuerint, arti huic Astronomicæ ritè percipiendæ ac exercendæ præficiendum,

endum , dum in hoc contubernio ad qvamvis cœli sereni occasionem diligentè se exercuerint ; nam sic vix biennii aut triennii spaciū exibit ; anteqvam præclaros Astronomos intelligere, retexere, & qvæ ipsi in cœlo invenerint, in usum, ad priscos corrigendos, convertere sustinuerint. Tantam enim utilitatem praxis Astronomica brevi tempore ingenuis cultoribus suis , atq; industriis, affert, ut veram , hoc est, in Exemplis demonstrabilem Theoriam, unà his applicet, eamq; sicubi opus fuerit, corrigat. *Nihil enim nos docet rectius facere, quam ut sapè faciamus*, velut Doctissimus olim Rudolphus Agricola , in sua Dialectica , profitetur.

Nec prohibet tales coelestium apud nos Observatores octo aut plures, pro superiorum voluntate, publicas Academiæ lectiones interdiu, maximè sibi utiles, freqventare, & Declamationibus ac Disputationibus se freqventer immiscere, imò his qvoq; interdum præesse, præsertim, selectâ materiâ, Mathesi & imprimis Astronomiæ cognatâ, quandoq; videm in Acad: Fundatione L. M. REGIS CHRISTIANI III, id, interalia, fructuose præcipitur.

Neq; dubium erit, qvin hi, qvi diligentiam suam in hoc Studio Mathematico declaraverint, etiam alios perplures ingenuos ad id alliceant, qvum & amplissimum Mathematū usum in omni vita rectius cognoverint, [ *ignoti enim nulla cupidus* ]; et clementissimi REGIS

REGIS nostri favorem ac stipendium hosce præ aliis  
mereri intelleixerint, qvo etiam apud exterorū studia sua  
præterea sive Theologica, sive Medica &c. cōtinuabūt.  
Nam hæc Serenissimi Regis voluntas pro nostratibus,  
qvi stipendiis Regiis imposterum extra Regnum fru-  
entur, nonita dudum literis clementer est obsignata. Et  
qvid qvæso sapientiis utiliusq; à Serenissimo R E G E  
nostro, Magnoq; Dno, Cancellario, Scholis & Acade-  
miis nostris imperari, ac consuli potuisset, qvam ejus  
Studii generis, qvod latissimum usum, tam in cœlo  
qvam in terra ac mari habet, plures inter juventutē li-  
teris educandam, participes fieri? Mathemata siquidē  
se ad omnia honestæ vitæ genera extendunt, & præser-  
tim in hisce Regnis maritimis usus, si cognoscerentur,  
innumerous & inæstimabiles ihabent; præterqvam  
qvòd Militiam plurima ex parte dirigant.

Faceant igitur Aristippi isti, qvi studium Mathe-  
maticum facile à qvovis alio vinci clamitent, & ideo il-  
lud hodiè ab Academiis ferè proscribunt, tanq; ḡdēv  
 $\pi\varrho\delta\varsigma \ddot{\alpha}\lambda\varphi\ddot{\iota}\alpha$ ; qvod tamen fallum esse Cœlum, Solū  
Salumq; testantur. Imò Platonis, & omnium vete-  
rnm de eo Evlogium. Qvod autem nunc in nullis  
ferè Germaniæ Academiis Mathematicæ, velut arti  
omnium præstantissimæ, & cum humano intellectu,  
maximam similitudinem (ut suprà ostensum est) ha-  
benti, precium debitum statuatur, facit Præceptorum  
partim negligentia, partim ruditas, & qvod mature  
satis

satis pueris non proponatur, ad Platonis adhortationem 6. de Leg. Quid enim quælo aliud præter ignorantiam est, quod nec artem inter cæteras omnes fructuosissimam, amplissimis suis finibus rectè circumscribere ac metiri; nec media pro hisce debite tractandis noverit? sed de hac querela alibi; nunc ad alia.

## SECTIO QUARTA.

### DE

*Ordine inter observandum, ubi de linea Meridiana, & Poli loci elevatione omnium primò acquirendis.*

Præmissis Sectionibus ternis, nempe de Instrumentis Astronomicis; ipsorum debita dispositione, & Observatoribus adea tractanda idoneis: Nunc ordo poscit, ut nonnihil de ipsis observationibus cœlitis exantlandis dicamus, easq; problematis suis adsignemus, quæ qvidem tum apud alios authores Iphæricos passim exstant, tum Astronomiæ Dan: potissimum sunt inclusa, sed heic eo ordine rursus citanda, quasi observationes cœlestes cum Astronomiæ incunabilis, seu prima constitutione fierent, eamq; absolverent, seu ad summam perfectionem perducerent.

Ergo ante omnia linea Meridiana in area Observatorii exquisitè, & eâ diligentiâ, quæ ab humana industriâ proficiisci poterit, investiganda est, sæpiusq; certitudinis causa iteranda, eò quod circulus Meridianus primarium in Sphæra locū obtineat; nam is est, super quem

qvem cætera, & imprimis Horizontalia exstruuntur; item gradus &c. in circulo Æqvatoris. Talis autem Meridianus repræsentatur in Sphæra præmissa per circulum K G H I M T. porrò pro linea dicta Meridiana, pluribus modis pervestiganda, consulentur 1 & 2 Probl. cap. 8 lib. 2 Sphær. Astron : Dan.

Secundum in ordine momentum consistit in elevatione Poli loci, pari aut non minori diligentia invirenda, qvæ mox eodem 8 cap. lib. 2 Sphær A : D : qvinq; discretis modis addiscitur, & demonstratur. Cujus nota invenitur in circulo meridianō Sphæræ præmissæ litera A. Huic namq; per Quadrantem ritè inventæ Axis mundi, seu Diameter Armillarum Æqvatorearum prorsus se accommodabit: Æqvatoreus verò semicirculus penes easdem Armillas, in suâ infra Horizontem tantâ depressione erit, ut hæc complemento elevationis Poli semper respondeat.

### SECTIO QVINTA DE

*Ordine & progressu inter Sidera observandum,  
ubi omnium primò de Sole.*

His duobus ritè inventis, nunc Instrumentorum adminiculo Cœlum porrò adeundum, in eoq; Sidera splendentia accuratè notanda. Et qvia Sol non solum jubar cœlestē maximum est, sed etiam Dux, & quasi Choragus Planetarum in suis motibus, dum

D

circu-

circuli horum Solem velut centrum commune respi-  
ciant, imò etiam reliqvorum in in universum coævo-  
rum Siderum, hoc est, Stellarum fixarum in suis per  
Zodiacum motibus apparentibus æqvalibus. Solis  
itaq; altitudo Meridiana per utrumq; Quadrantem,  
tum qvovis opportuno tempore per armillas Æqua-  
toris, accutatè habenda est, ut indè Declinatio ejus  
constet, præcipue juxta puncta Æqvinoctialia, Tro-  
pica & locis intermediis; siqvidem non alitèr locum  
motumq; Solis annuū, qvi posteà fundamentiloco re-  
liqvis substituendus est, qvam è Declinatione ejus per-  
scrutamur, à parallaxibus & refractionibus, de qvibus  
posteà liberandâ.

Prætereà circa Arietis & Libræ principia in Sole,  
qværuntur Æqvinoctia: circa Tropicum Cancri ob-  
liqvitatis Eclipticæ ab Æqvatore maxima: Cancti in-  
qvam, ne refractio in altero Tropico, nempe Capri-  
corni, conatum in errorem trahat; qvamvis etiam ju-  
vat Tropicum Solis utrumq; per observationes probè  
exploratum habere, & indè datâ differentiâ utriusq;  
obliqvitatis ab Æqvatore, parallaxin paritè ac refra-  
ctionem Solis elicere. Cæterum quomodo ex alti-  
tudinibus Meridianis Solis, & Siderum, ipsorum in-  
veniantur Declinationes, Sphærica doctrina in Astr.  
Dan. sufficientè præter praxin qvotidianā, docebit.

Conducit qvoq; Solis loca, ut dixi, ad mediata-  
tes signorum inter Æqvinoctialia & Tropica per ob-  
serva-

Servationes, ex altitudinibus Meridianis Solis, habere cognita, nempe circa 15 gr. Tauri & Leonis, &c. imò & aliis in locis, ut inde Solis excentricitas, & locus apogæus, multifariam explorentur. Velut modi qvidam, lib. i Theor: Astr. Dan. Cap. ii. de hisce traduntur, ac plures, per tria Solis loca data, inveniri possunt, haud ab iis differentes, qvibus Copernicus in Luna utitur Lib. 4 Revol. Cap. 5.

## SECTIO SEXTA.

DE

*Eclipsibus Luminarium; item Lunâ seorsim  
ad cœlestes observationes vocandâ.*

Nec parum faciunt Eclipses tâm Lunæ, qvâm Solis diligentèr per sua momenta, qvoad initium, medium, ac finem observare, ac simul Deliqviorum in ipsis magnitudines metiri: siqvidem Eclipſium ad miniculis, non modò motus Luminarium, distantias eorum à terra, item magnitudines veras pariter & visibiles penitus perscrutamur, sed & insuper longitudes diverſorum Locorum in facie telluris, è momentis observationum, qvæ qvidem in instanti fiunt, licet in locis, temporibusq; diversis. De qvibus Astronomia Dan. Cap. 9 lib. i Sphær. demonstrative agit.

Adhuc pro explorandis Lunæ motibus, qui qvondam à Dn. Tychone, & nobis, omni diligentia sunt instaurati, juvat ipsam Lunam, in declinaione &

distantiis à notis Stellis fixis , circa nonagesimum  
Eclipticæ gr. ab Horizonte diligenter observare;  
cujus calculi rationem cum exemplo habes lib. i  
Theor. Astr. Dan. Cap. 9 sub finem: Nam tunc lon-  
gitudinis parallaxi Luna caret. Maximè autem id  
convenit in altitudine meridiana circa initium Cancri  
& Capricorni , idq; in oppositionibus Luminarium,  
Quadraturis, aliisq; diversis Lunæ facibus, etenim  
hinc in cognitionem veræ variabilisq; distantia  
Lunæ à Tellure potissimum perveniendum , juxta  
qvam Hypothesis Lunæ Ptolemaica evidentè cor-  
rigitur , atq; eccentricitatis æqvatio nova nostra,  
stabilitur. De qvæ re etiam nonnulla infrà de paral-  
laxibus Lunæ.

Præterea Parallaxium Lunæ ratione habitâ,  
item Refractionis in humiliore ab Horizonte situ  
vitandæ, longitudinem veram Lunæ, & latitudinem,  
è certis juxta nonagesimum gradum , observationi-  
bus , per Sextantem in distantiis à fixis , & Armillas  
in Declinatione, cognoscere, hypothesi ipsius rite,  
qvoad longitudinem latitudinemq; explorandæ in-  
servit: Ubi labores nostros septemnales olim in hoc  
Sidere, qvisqvis ingenuus , & rerum Astronomica-  
rum gnarus, tunc æqvo judicio æstimabit, qvando  
cum Cœlo,& Prædecessorum hypothesisibus ejusdem  
motus, qvovis à Sole situ, debitè conferat. Neq;  
enim dubitare possumus Hypothesin nostram gemi-  
nam

nam in Luna, qvæ Astr: Dan: inserta est, ad normam  
cœlestem ita esse constructam, ut nusquam adhuc  
5 min: ab ea discedat.

Quare hinc longitudinum terrestrium constituen-  
darum errorem causari velle, propè supervacaneum  
fuerit. Et ubi sunt 8 illi integri gradus, qvos Schickar-  
dus Tubing: olim post nos in nodo Lunæ devios ob-  
servasset: Ovana & temeraria ad calumniandum præ-  
sumptio, major forte apud ipsum, qvitale mendacium  
spaserat, qvàm istum qvi tantum in Luna errorem  
irrito suo conatui excusando prætexuerat.

Interim autem nihil prohibet, sed utile admodū  
est observationes cœlestes tām in Sole qvàm Luna &  
cæteris Planetis ad Posteros continuare, ubi si qvas al-  
terationes, vel mutationes etiam recentioribus hypo-  
thesibus Cœlum tractu temporis afferat, sensim emē-  
dari possint, si non penitus itatolli, ut ad omnia tem-  
pora mundana congruant: nam id cum Phil: Lans-  
bergio policeri (præsertim nihil solidi ad Astrono-  
miæ restorationem, qvam jactabat, afferente) plenū  
vanitatis est, ut nunc tantillo interlapso tempore erro-  
neæ ipsius hypotheses, Tabulæq; nobis, imò toti Orbi  
ostendunt, & sic vaticinium M. Pet: Kierulii (imò et-  
iam nostrum) in Apologia pro Dn. Tychone Brahe  
adversus Hörtentium, longè antevertunt.

Porrò iniquum esse ducimus, modò Posteri sal-  
tem in antecessoribus habeant, qvod incusent, Cœlo

scilicet, qvod & isti consulant, semper in conspectu locato, qvippe in hæreditate, ut Plinius dicit, omnibus dato. Neq; enim qvemqvam mortalium adhuc asse-  
qvutum esse arbitramur, qvibus motuum proportionib; à numeris, sine dubio, effluentibus, Planetæ in suis periodis reguntur, dum Stellæ fixæ semel, ut nunc à Dn. Tychone, restitutæ, nō nisi Æquinoctialis, Solisq; motus variatione, qvicqvam variant, dum scilicet eandem perpetuò dispositionem ad invicem, distan-  
tiasq; retineant: De qvarum restitutione Sectio modò seqvens brevitè agit.

## SECTIO SEPTIMA

### DE

*Stellarum fixarum fundamento, laboriosè sed  
solertißimè à Dn. Tyckone Brabe nostro constituto: item re-  
stitutione earundem, tantà accuratione, ex observationi-  
bus Cœlestibus peractâ, qvanta vix à qvoqvam  
alio, omni Mundū seculo fuisse  
spectanda.*

Qui de fundamento Restitutionis Stellarum fixarum olim à Dn. Tyckone in Hvæna jacto, hodiè con-  
queruntur, ignorantiam suam in observando pro-  
dunt; Et dum aliud scilicet à se certius supponendum  
arbitrantur, vanam speculandi fiduciam; nisi exemplo  
fortè sive Hipparchi, qvem Plinius lib. 3 cap. 6 pri-  
mum Stellas fixas observasse refert; sive Ptolemæi  
Almag: lib. 7 cap. 4. Dum scilicet Luna illis profun-  
damen-

damento restitutionis Stellarum fixarum statu cibatur,  
Parallaxi, ac multiplici præterea veterum errori obno-  
xia: item Armillæ Zodiacales, per qvas observatio  
Lunæ ac fixarum fieret, non maiores qvam denorum  
minutorum, ultra gradus, capaces; præter luxationem  
polorum in illis à debita sua dispositione; & alia in-  
commoda, de qvibus Ptolemæus, qvi iisdem Armil-  
lis Alexandriæ Ægypti tricentis ferè annis post Hip-  
parchum, usus est, conqveritur. Vide Almag. lib. 3  
cap. 2. & alibi; ut nemini mirum esse debeat, fixarum  
loca Abaco Ptolemæi inscripta, tantoperè à cœlo  
discrepare.

Et certè crede mihi, longè incertior praxis est,  
qvæ pro fundamento Stellarum, per Solem in ortu,  
Stellamq; Jovis ( vel potius fixam ptimæ magnitudi-  
nis ut Seirium &c. ) tunc apparentem, suggeritur:  
dum scilicet in momento, per altitudinem hujus, &  
Azimuth, illa perficietur. Nam hic modus absq; de-  
bita certitudine excogitatus esse videtur, ab eo, qvi  
observationibus, coelestibus exantlandis nunquam  
fortè assverat, & ideò anteà à nobis meritò damna-  
tus: Et cur tali pragmate, cui se Solistam parallaxis,  
qvam refractio circa ortum immiscet? Igitur hæc  
Theoria absq; sua possibilitate, vana est. Non enim  
mox qvod speculatio invenit, et ex ea demonstrari po-  
test, sed qvod usus reciprocè, ac pari demonstratione  
probat, retinendum,

Tan-

Tandem super basi longè solidiore Stellarum  
inerrantium fundamentum Dn. Tycho lib. i Progym:  
cap. 2 posuit; qvod quidem Caput dignum erat, priùs  
ut futurus Astronomus diligentè perpenderet, qvām  
fundamentum Tychonicum fixarum Stellarum levi-  
tēr in dubium vocaret. Restituto enim anteā ad qua-  
tuor sēcula porrō retroq; Solis cursu, Tycho, eodem  
2 cap. prolixè nempe per pagin. 158 de hoc fundamen-  
to, absq; sensibili errore, præconstituendo, per omnia  
media disqvirit; & tandem convenientiam 15 obser-  
vationum, diversis temporibus, factarum à Sole in  
Venerem, toto diurno tempore, in maximâ suâ, à  
Sole, elongatione, apparentem, in medium producit.  
In qua Pragmateia Dn. Tycho mirificâ sollertia indu-  
striâ & diligentia, non modò omnes suos antecessores  
facilè superavit: sed etiam Astronomum se hīc impri-  
mis præbuit, dum bellè intellexit, *Qayouieva* Plane-  
tarum, siqvando in hypotheses perpetuas dirigenda,  
fixarum locis, undē illorum observatio fiat, Cœlo  
prorsus conformibus indigere.

Atq; heic Sextantis Instrumenti usus, in tot diur-  
nis instantiis Veneris à Sole, certè prævaluit. Qvod  
facilè ex tot reciprocis ad ortum, occasumve, obser-  
vationibus, ac probationibus liqvet, in qvibus  
differentia nūpiam ad sexagesimam gradus partem  
seu unum minutum se extenderat. Ut sic pro So-  
lis Venerisq; refractionibus ac parallaxibus, qvin  
Dn.

Dn. Tycho hisce satis providerat, caveratq; suspicio  
in fumum evanescat.

Sed neq; solum una Stella fixa , verùm plures  
fundamenti loco à Dn. Tychone certitudinis causâ  
sunt assumptæ ; imprimis autem illa lucida super  
caput Arietis , à qva nonnullæ aliæ circa Æqvatorem  
pariter & Zodiacum , pro reliqvis posteà cœlitiis  
acqvirendis, tanto artificio certitudineq; , per Sex-  
tantem reciprocè , item Armillas Æqvatoreas in  
distantiis ac declinationibus, sunt observatæ, ut ad  
Circuli utriusq; Æqvatoris & Eclipticæ , exactâ suâ  
mensuratione se extenderint , postqvam ~~ad~~ ~~ad~~ ~~ad~~ ex  
hisce Triangulorum solutioni in numeros, fidelitè  
essent commissa.

Quid igitur de fundamento Stellarum fixarum  
olim à Dn. Tychone jacto, quereris ? & qvid amplius  
in ipsarum acquisitis locis, ac posteà in Canonem di-  
gestis, desideras? siqvidem inter mille à nobis olim  
Uraniburgi in Hvæna observatas, nulla in dictū Cano-  
nem inscribebatur, nisi in Declinationibus & Distan-  
tiis ab aliis notis, utrinq; reciprocis, ita cum hisce, post  
calculationem in numeris, pro loco suo stabiliendo,  
posset concordare, ut nuspian ab illis 5 min: facto exa-  
mine, digrederetur, cuius dimidium saltim limitationi  
cessit, idq; in paucis: plurimæ namq; intra unicum mi-  
nutum sub tali trutina cōvenerant. Ad eam igitur præ-  
cisionem in fixis beneficio Sextantis & Armillarum

E

perven-

pervenimus (licet iteratis interdum observationibus) quam certè nullis aliis instrumentis sperare licuerat. Multò minùs methodo illâ, qvæ ex transitu fixæ per meridianum notæ, notam aliam futuram nobis spondet, dum saltim in momento transitus prioris per meridiem, altitudo & Azimuth ignotæ alterius in Quadrante cœlitùs fuerint designata. Verum hâc methodo priùs ab inventore fiat ad cœlum periculum, & postea tantus ejus applausus.

Sed de fixis Stellis in hac dissertatiuncula satis, quum satis securi simus, neminem hasce accuratiore, cœloq; magis conformi Restitutione, quam olim Dn. Tycho, unquam elaboraturum; ubi tamen id fatendum, qvod, si quid tractu temporis posthac, Aeqinoctio aut Soli, diversæ variationis contigerit, id quoq; in fundamentum Stellarum fixarum, non item distantias ipsiarum redundare, ut etiam suprà meminimus.

## SECTIO OCTAVA

### DE

*Modis reliquos qving, Planetas  
obserbandi.*

Qvandoquidem qvinq; isti famosi atq; mundo coævi Planetæ, singuli centrum suum commune mediæ suæ revolutionis in Sole habent, [Sect. 5] Ergò ad Solis periodum errorem suū faciunt, Dum enim conversiones suas ad illum dirigunt, contingit, qvod in variis

variis à tellure distantiis inveniantur; præter apogæa  
& perigæa loca singulorum eccentricis appropriata.  
Qvare, ante omnia, opera danda est, ut Solis cursus  
qvam correctissimus ad Cœlum habeatur, quocirca  
ab hoc primario in Cælo Luminari, observationes  
coelestes auspicandæ veniunt.

Porro qvia nullus horum Planetarum directe  
supra Solem visuntur, ex adverso verò tantum tres su-  
periores Saturnus, Jupiter, Mars, eò qvod tellurem hi  
in suis periodis ambiunt; Proinde in infimis suis siti-  
bus ubi ἀνցόνυχοι vocantur, qvando videlicet Soli  
opponuntur, hos præcipue observare convenit, ut sic  
in diversis Eccentricorum horū revolutionibus Apo-  
gæum Eccentrici singulorum, unà cum hujus Æqvan-  
te; Circa latera verò, hoc est, maximas digressiones  
eorundem à Sole, & periodi, & magnitudines pariter  
orbium ipsorum eliciantur, vel hæ anteà constitutæ  
probentur, unà cum eorundem latitudinibus utrinq;  
ab Ecliptica digredientium, tam in Solis oppositu,  
qvam digressione ab hoc maximâ.

Similiter duo inferiores Planetæ Venus & Mer-  
curius, siqvidem hi ob orbium suorum angustiam,  
non tam longè à Sole digrediuntur, ut Tellurem, velut  
tres præmemorati superiores, ambiant, & qvia perio-  
dicis suis motibus, motum Solis annum antever-  
tunt, proindè non nisi à lateribus seu digressionibus à  
Sole maximis nobis conspicuntur; matutini, qvando

ante, vespertini, qvando post Solem, diurna conversio-  
nis ratione, decurrunt; contrario verò modo in signo-  
rum consequentia, unde, ut superiores stationarii fiunt,  
& retrogradi, dum infra Solem orbes suos decurrunt,  
& ob Solis visibilis propinquitatem, invisibiles, tantis-  
per dum ad latera recedant, ubi tūm ob Eccentricita-  
tes, Äqvantes, & Apogæaloca; tūm magnitudines or-  
bium similitèr velut superiores observabuntur, maxi-  
mè verò Mercurius ad qvamvis occasionem, dum à  
Sole digrediens in conspectum venit. Ille enim est, qvi  
ob motus sui concitationem variis anfractibus obno-  
xiā, Astronomos in hodiernum diem deludit.

Deniq; nec alia methodus pro observandis Pla-  
netis, qvām superiùs, pro fixis reqviritur; qvippe, ut  
cum altitudine meridiana Planetæ ( unde posteà ejus  
Declinatio ) vel ejus, per Armillas, Declinatione, &  
distantiis reciprocis per Sextantem ab aliquot fixis  
Scellis, in Declinationibus, & Ascensionibus rectis priùs  
notis, qværatur primùm ascensio recta Planetæ, per  
3 Problem; Cap. 9. Lib. 2. Sphær. Astron. Dan:  
Deindè ex datis sic Declinatione, & Ascensione rectâ  
Planetæ, ejus longitudo vel latitudo, per problem.  
2. Cap. 2. Sphær. Qvin certitudinis majoris causâ  
tutum est distantias reciprocas Planetæ per Sextantem  
à duabus fixis observare, ut de fixis superiùs dictum  
memini.

# APPENDIX.

## I. PARS

### De Æquatione Diei naturalis.

Observationibus coelestibus superiore  $\Sigma\pi\eta\sigma\epsilon$  brevijs, quæ heic requiritur, methodo expositis, tria nunc restant, quæ eisdem præterea accidunt, nempe Æquatio diei naturalis, Parallaxis, & Refractio Siderum, quæ tria ab Astronomo non sunt negligenda, sed potius quoties opus fuerit ritè adhibenda. Nam quanquam duo saltim priora à priscis Astronomis nempe Ptolemaeo, Copernico & alijs superioris ævi animadversa sint: tertium tamen dum ab ijsdem neglectum fu<sup>r</sup>erat, ad integram Astronomia<sup>m</sup> restitucionem non pervenerunt.

Ceterum hanc primam Appendixis bujus partem de Æquatione Temporis pertractantes, in varias difficultates incidimus; Dum enim verum tempus quod Sol diurnâ integrâ suâ revolutione, à meridiano in eundem metitur, ad H. 24 completas restringimus, & aliud, quod medium vocatur etiam H. 24 integris comprehendendum, ad quod omnium Siderum motus in Tabulas, per numeros digeruntur; comperimus nihilominus ex observationibus Lunæ, quippe cuius motus atq; revolutiones, reliquis reliquorum Siderum, longè concitator est, non tantum inter verum, mediumq; tempus differentia intercidere, quantum aut

Ptolemaeus, aut recentiores è Physica consideratione demonstrant: Lunā ex diligentissimis animadversiōnibus tām in Eclipsibus, qvām extra, talem aequationem temporis, constanti revolutionis sua normā, averseſante, De quare in Astron. Dan: lib. 1. Theor. cap. 2. pag. 41 & seqq. disquisitio facta est.

Nam Aequatorem velut temporis aequalis regulatorem, Solem verò tanquam visibilem ejusdem indicem, à terra inspiciendo, ratio ipsa indicat, Tempus medium velut imaginarium mensurā integræ Aequatoris revolutionis, nempe 360 gr:, & insuper 59 min. 8 sec. (qui Solis medium diurnus motus est) confici: verum autem tempus, vero loco Solis in Ecliptica, ad Aequatorem singulis diebus, reducto; ut differentia inter has duas ascensiones rectas, pro tempore Aequatione habeatur, addenda & subtrahenda, ut praeceptum iubet. Quod Iohan Keplerus rectè existimat, & post eum D. Iohan Morinus, quicquid Ptolemaeus, & ex eo Regiomontanus ac Copernicus, de Diei naturalis aequatione demonstrare velle videntur.

Hec licet ita se, ad rationis dictamen habeant, & initium aequationis in Apogaeum Solis cadat, si quando hoc aliquod quatuor cardinalium punctorum Eclipticae occupaverit; tamen certum est, Lunam non totam illam differentiam, imò vix eam, quæ ex obliquis arcibus Eclipticæ cum Aequatore, quæq; aliter excusari nequit, pro suis apparentijs salvendis, exposcere.

scere. Nam si quisquam Astronomus de hac re dubitet, Cœlum Lunare adeat, consideretq; diligentè nobiscum 23 illas Eclipses Luna, quas omni accurate-  
ne pag. 52 lib. 1 Theor. Astron. Dan. cum suis obser-  
vationibus exputatas reliquimus ; Præter reliquias  
observationes ad Lunam, unde hypothesis ejusdem  
etiamnum constanti exhibitione Φαινομένων Lunari-  
um, ad quodvis tempus perennat, æquatione  
temporis adhibitâ, ab obliquitate Eclipticæ solum  
proveniente.

Neg. quisquam cum alijs nonnullis sentiet, hanc  
temporis æquationem, quam sola Luna sibi deposcere  
videtur, alia ratione hypothesis ipsius includi potuisse ;  
His enim varijs cursus Lunares in Cœlo incogniti ad-  
huc manent; non ut nobis, qui septennilabore eosdem  
ex accuratisimis observationibus expedivimus, &  
in hypothesis ac Tabulas redigimus, cura pro hac æ-  
quatione integrè retinenda, nusquam interea depositâ.  
Nam id non, aliter quam per alia Apogei, quam nobis  
exhibuit, variationem, excusari debuisset, quod tamen  
Apogaeum intranovennium periodum suam absolvit.

Si autem alias, ut Phil: Lansbergius, temporis  
æquationem, quæ Soli debere videtur, orbi Lunari,  
seu ipsi Luna, in sua revolutione adstrinxerit, næ id  
admirabili, & præter omnem rationem, speculatio-  
ne aggreditur ? Unde etiam hypothesis Lunaris non-  
nihil concutietur.

Interim

Interim autem, quia nihil absq; causa fit, præcipue  
quod diuturnum in Cœlo sit futurum; equidem hujus  
abolitæ temporis aequationis, quæ à Solis Eccentrico cæ-  
teroquin adhiberi debuisset, nullam aliam causam dari  
posse video, quamquam penes Solem resideat, ut scilicet  
aut centrum terræ, cum centro Solis in Ecliptica unia-  
tur, (quod tamen hypothesi Solis adversatur, centrum  
orbis sui, extra terram exhibentis) aut, quod maximè  
credendum, sit primi mobilis celerior diurna convercio,  
quando Sol telluri fuerit propinquior, & contra, vel-  
ut pag. 42 lib. 1. Theor. Astron. Dan. assertum est;  
Nam talem geminam causam in Luna Theoria reperi-  
unam pag. 112, alteram pag. 114. lib. 1. Theor. Astr.  
Dan. tanquam demonstratam.

Neg<sup>o</sup>, abhorremus terram super Centrum suum  
mobilem asserere, causâ necessitatibus hujus rei aliquan-  
do coram Dn. Tychone in Hvana, longè ante D. Origia-  
num, in suis Ephemeridibus, disceptatâ, que quoq;  
Astronomia Dan. nonnullis locis inseritur; ut lib.  
1 Theor. pag. 19 & 87.

Maneamus igitur quæso, in ea Aequatione diurni  
temporis, quæ à Cœlo in Luna probatur, nec aliam  
quaramus, pro Sole aut reliquis Sideribus, quamquam  
ex obliquitate Ecliptica cum Aequatore demonstra-  
tur; altera siquidem ex inæquali motu Solis, proveni-  
ens, sive adsumpta, sive neglecta fuerit, insensibilitè  
ferè motus ipsorum variat.

II PARS.  
De parallaxibus Siderum  
primò Solis & Lunæ.

Primò quia Solis parallaxes adeò exiles & subtiles sunt, ut nullà observatione easdem seorsim rimari liceat. Proinde heic priùs distantia Solis à terra supponi requiritur; quam quidē distantiam nos in media elongatione Solis à tellure 1288 semidiametros terræ consti- tuere non dubitamus, quippe quæ ex Lunæ digressione in quadraturas, lib. I. Theor. pag. 112 Astr. Dan. satis demonstratione reperta, benè cum Eclipsibus utriusq; Luminaris consentit. Unde parallaxis Solis in horizon- te non major  $2\frac{2}{3}$  min: Lunæ autē juxta semidiametros terræ p̄finitas, & tabulā parallaxium Solis & Lunæ pag 153 ejusdem lib. I. Sp̄bericorum comprabensas.

Ceterum cum heic de parallaxibus Siderum ex ob- servationibus deducendis agitur, præstat in deliquijs Luminarij, præsertim pro parallaxibus Lunæ hanc vi- am ingredi, quæ forsitan anteā non fuerat inventa: Ad medium Eclipseos Solaris, quia sit in conjunctione cum Luna; observetur diligenter in Quadrante utriusq; lu- minaris altitudo in Circulo verticali, ad centrum utri- usq; reducenda; vel etiam extra medium, particula So- lis per Lunam deficiente. Deinde per altitudinem Solis diligenter in Quadrante observatam, vel ex dato tem- pore, &c. supputetur vera altitudo Lunæ in eodem ver- ticali, & differentia parallaxin Lunæ à Sole arguit;

Praestat autem talem observationem prope nonagesimum gradum Eclipticæ ab Horizonte fieri.

Verum adhuc certius per Eclipsin Lunæ particularem invenitur ejus parallaxis hoc modo. Supputetur ex dato tempore media umbra terræ in signo, gradu, ac minuto loco Solis contrario, & observetur diligentè per Quadrantem altitudo Luna in medio particularis, quâ postea ad centrum Lunæ reductâ, ac simul umbræ mensurâ penes transitum Luna in suo semidiametro; atq[ue] sic ex collatione, Lunæ parallaxis in circulo altitudinis dispalescit.

Interim autem Refractionum ratio in utroq[ue] Luninari habenda est, quibus contigerat, quod utroq[ue] supra horizonta existente, alterum Eclipsatum fuisse, tūm olim Plinius commemorat: tūm postea factum meminimus.

Amplius quod parallaxes Lunæ in diversis tam factibus cum Sole, quām distantijs à terra attinet, conductit eandem Lunam circa nonagesimum Eclipticæ gradum ab horizonte subinde, nō modo in altitudinibus & Azimuthib[us], per Quadrantem, sed etiam in distantijs à Stellis fixis per Sextantem diligentè observare, ut ad loca ipsius ibidem acquisita hypothesis Lunæ exploretur, ut anteā Sect. 6. dictum est, at heic pro parallaxis cognoscendis. Et quoniam juxta principium Canceris & Capricorni nonagesimus ille gradus ab horizonte in meridianum concurrit, commodissimum igitur erit

erit, Lunam circa principium horum duorum signorum, diversis suæ revolutionis temporibus, atq; aspe-  
ctibus, cum Sole versantem in altitudinibus meridia-  
nis habere. Quod si Ptolemaeus fecisset, Lunam non  
tam propè terram in Quadraturis, suâ hypothesi sta-  
tuisset, quæjure postea à Copernico emendata est, à Dn.  
Tychone verò, & nobis, Eccentrici equatione, (præter  
multa alia) meritò aucta.

### Secundò de parallaxibus reliquorum

Planetarum & præcipue novorum

Phænomenon.

Quandoquidem datâ Solis distantia â terra, fa-  
cile erit, reliquorum quinq; Planetarum elongationes  
abeadem, in quavis suâ revolutione juxta Hypotheses  
eorundem, scire. Et quia datâ distantia, datur quoq; pa-  
rallaxis per conversionem probl. 4 lib. 2. Spher. Cap.  
10. Astron. Dan. Proindè quia parallaxes horum exi-  
les admodum sunt, nempe in Saturno & Jove vix per-  
ceptibles: In Marte verò Venere & Mercurio peri-  
gæis, infra Solem, deprahensibiles. Quocirca de illis,  
qua absg; observationibus, quippe è suis hypothesibus  
baberi possunt, impræsentiarum verba facere omitti-  
mus, solum novis phænomenis, ut Cometis &c. si quas  
& quatas babuerint parallaxes, rationes & methodos,  
qua optime evidentur, prescribemus; eas autem, qua  
absg; errore in parallaxium pragmateian introduci

nequeunt, utut demonstrationibus nitentes, non absq;  
ratione, pariter & authoritate, rejecturi.

Siquis doctrinam Sphæricam mediocriter edoctus  
Cap. 10 lib. 2. Astron. Dan. evolverit, & simul ex-  
empla è Dn. Tychoonis Progymnasmatis Astronomiae;  
item appendice Astr. Dan. de aliquot ultimis Cometis;  
ipse optimam & sufficientissimam methodum paralla-  
xes novorum phœnomenon per observationes enu-  
cliandi habet, ut in cassum fuerit Astronomia practica  
Tyroni alias prescribere velle, siquidē problemata ista  
variationibus omnibus, quae incidere possunt, dum novū  
phœnomenon in Cœlo spectatur, sunt accommodata.

Contrà verò licet parallaxis in circulo verticali, ex  
altitudine suā, & Azimutb, acquiri posse videtur: ta-  
men nunquam in tali praxi absq; insigni errore id fiet.  
Nam hinc potius provenit, quod Johannes Regiomon-  
tanus ceteroquin Clarissimus, suo tempore, Astro-  
nomus adeò de Cometarum parallaxibus ballucinatus sit,  
ut loca ipsis inter Meteora, cum Aristotele reliquerit.  
Quamvis non dubium est, quin, quod Dn. Tycbo sta-  
tuit, cometa omnes in cœlo fuerint.

Ceterum Dn. Typhonem velut summum Astrono-  
mum de hac Regiomontani pragmate ea audiamus: ita  
enim lib: 2 progym: de Cometa anni 1577 (è multis qui-  
bus hac pragmata damnatur) pag. 145 scribit: Azi-  
mutha atq; altitudines, nisi adeò scrupulosè, ut nihil  
desideretur, obtineantur, operam & oleum, ut dici  
solet; perdideris. Paucorum namq; scrupulorum vix  
sensi-

sensibiliū lapsus in tempore atq; cæteris datis , aliquot graduum à veritatis scopo digressionem facile inducit , Item pag. 157 postquam calculus ipsi in Cometa , bâc viâ , in absurdum ubiq; cecidisset , rem his verbis concludit : Quod autem operationes ad finem deducere nunquā licuerit , rei subtilitas , quæ circa minima & penè insensibilia sistitur , occasionem præbuit , ut non tam usui facile accommodata , quam subtiliter & ingeniosè excogitata fuerit hæc Regiomontana ratiocinatio . Multa n. sunt , quæ in speculationem ducta , recte quidem constere possunt . Si verò praxeos usum adhibeas , etiam exquisitissimis Instrumentis , & Lynceis oculis usus , (præsertim ubi scopus dirigitur circa tenuia , ut ex illis maxima superstruantur ) in inextricabiles absurditates devenies , adeò ut opus ipsum ad finem constitutum , non commode perducas : Tantum de methodis parallaxium per observationes cœlestes exquirendarum , & earum deviatione fugienda .

Ceterum heic præterire non possum , quin Scipionis Claramontij Equitis Romani ineptias , circa parallaxum estimationem , notem , qui non modò Cometis , sed etiam Stellis novis sedem intra cœlestia mœnia , contra omnium ferè Astronomorum nostri avi sensum atq; consensum , strenuò denegat , dum Hypothesi Aristotelis de Cœlo & Meteoris sè prorsus mancipaverit . Non heic referam , quam strenuè miles iste contra Dn. Tycho nem nostrum , Keplerum , Rothmannum , Santutium , Snellium , Fromundum ,

, uxta sensum suum, pugnaverat, velut ante in Anti-Tychone & nunc quatuor ab hinc annis, adversus reliquos commemoratos, in Opusculo suo de sede sublunari Cometarum. Sed quia appendicem Astronomie Danicae ante id temporis passim per Italiam distracta, se vidisse ac legisse dissimulat, in qua de Aetherea sede duorum Cometarum ultimorum, nempe anni Dni. 1607 & 1618, luculentè ex observationibus heic Havnia habitis, egeram; proinde ut omnes Astronomi evidenter cognoscant, Cometam ultimum, cœlestem fuisse, age, in collationem adducam duorum dierum observationes, quas tam Patres Jesuitæ in Insula Goa India orientalis, ad eundem habuerant, quam nos heic Havnia eodem ferè tempore, nempe in distantia à spica Virginis. Illic enim die 3 Decembr. manè distabat Cometa à spica 25 gr. 54 m. Hic verò eodem die manè, ab eadem spica Virginis absuit Cometa 25 gr. 52 m. Similiter die seqq. quierat 4 Decemb. manè distantia inter eandem spicam Virginis & Cometam in Goa erat 26. gr. 50 m. Havnia verò 26 gr. 52 m. Quemadmodum hæ observationes inveniuntur, Goana in nominato Opusculo Claramontij mox pag. 2: Havnienses verò in dicta Appendice Astron. Dan. pag 32. Porro quoniam Goæ latitudo ad 16 gr: Bor: Longitudo vero ad 106 gr: se quam proximè extendunt, dum Havniensi Latitudo fuerit 55 gr: 43 m. B. Longitudo autem 36 gr: proindè differentia Longitud: borum

loco-

locorum est 70 gr: Distantia verò ab invicem 65 gr.  
36 m. quæ miliaria Germ: faciunt 984. Altitudo præ-  
tereà Cometa apud nos inter observandum die 3 erat  
20 gr: die 4 Altitudo 21 gr. Quia igitur differentia  
Latitudinum locorum invenitur quasi 40 grad:, cre-  
dibile est Altitudinem Cometae Goæ observati baud  
multùm intra 60 gr: extitisse. Proinde si Cometa  
fuissest infra imum terminum Lunæ, qui altius à cen-  
tro terra quam 52 semidiam. bujus non constituitur,  
(licet longè infrà illa regio est, in qua Cometa Aristote-  
li) parallixin, apud nos in altitudine 20 gr: babuiſ-  
ſet 1 gr: 3 m. apud Goanos verò nempe in altitudine  
60 gr. parallixin saltim 34 m. Differentia igitur  
parallaxium est 29 m. Quæ tantam fermè inter di-  
stantias ad spicam Virginis reliquisset,. Jam si bac  
differentia cum distantijs Cometæ à spica Virginis supe-  
rius utring, & ad utrosq, dies acquisitis, conferatur,  
quæ nuspiam 2. m. ultrò citroq, excedit, nemo Astrono-  
morum, præter Claramontium, Cometam hunc sublu-  
narem fuisse affirmabit, modò ex observationibus ju-  
dicium fiet, etiam quando justæ pro eruenda paral-  
laxi, trutina subjiciantur: quam nos, pro instituto, in  
hoc discursu omittimus, quum bac anteà à nobis pag.  
56 dictæ Appendicis diligenter sit acquisita. Et cer-  
tè miror cur Claramontius, in hoc Parallatico argu-  
mento, se non corrigat, & ex deliquijs Solis, in locis,  
tantà, ut hec, latitudine differentibus, vel oculari in-  
tuitu

exitu discat, tantum scilicet parallaxes Lunæ in ijs valere, ut si quando bujus latitudo septentrionalis, & supra Solem fuerit, nihilominus nobis heic ob minorem altitudinem, & ideo majorem Lunæ parallaxin in Circulo verticali, Solem à Luna totum fermè obscurari, quando in Goa exiguis aut nullus ejusdem Solis defectus sentiretur. Sed præstat forte Equitem bunc liberè intra Phœnomena, quæ sibi singit, Sublunaria, in modum Bellerophontis grassari, suog, sensu abundare, dum neminem Astronomorum, quod sciam, secum in consensu trahat.

### III PARS.

#### De Refractionibus Siderum.

Quamvis Albezenus & Vitello communiter in Opticis suis de Refractionibus Siderum nonnihil scripserunt: tamen Astronomorum nemo ante Dn. Tycho-nem nostrum, materiam Refractionum Siderum in debitam exsequitionem, ab Observationibus diduxerat. Is enim postquam ab Opticis illis nonnihil de istis subfeciisset, quin etiam à Laudatissima memoria Rege Friderico Secundo (cujus auspicio Uraniam in Hvænam traduxerat,) intellectisset, Horologia Regia perpetuò in eo à Sciatbericis differre, quod hæc horas matutinas & vespertinas, cæteris æqualibus productiores monstrarent; Hoc enim licet inter Scripta Dn. Tychonis nullibi proditum inveniam; tamen quod olim ex ore ipsius audivi, optimâ fide heic reffero. Ex hisce autem

autem occasione arreptâ, tandem per Instrumenta  
debita magnitudinis, atq; tractationis, primum Refra-  
ctiones in Sole sensibiles satis circa horizontem Tycho  
reperit, velut pag. 91 & seqq: i progm: inventa sua  
in hoc argumento propalavit. Tychonem autem  
Rothmannus, Keplerus, Scheinerus, Morinus, Bou-  
liaudus, & plurimi alij sequuti, qui adum singuliveras  
Refractionum causas se rimari posse arbitrati sunt,  
nec subjectum lucis seu radiorum ex Astris verum  
supposuerunt, proinde mirum non erat, tantas inter  
ipsos dissensiones ortas esse. Etenim plerig; horum  
inter Aërem & Cælum hoc discerniculum fecerunt,  
ut globus aëreus à cœlesti prorsus esset diversus; quod  
verum non esse secundum Prognorisma Astron: Dan:  
clarè convincit. Nam Cœli materiam, per quam  
radij Astrorum ad nos usq; transiunt, Rachian seu  
Expansum esse à DEO secundo die creatum, inter  
alia, ipsorum instantanea lucis transmissione arguit.

Interim autem pronominatus Bouliaudus, quia  
hanc instantaneam transmissionem radiorum verè in  
eruditio suo Scripto de Naturali lucis urget. Et D. Mori-  
rinus in Scientia sua Longitudinum pag. 336. idem de-  
scriptione Spiritus cuiusdem in ipsum aërem effusi ac  
desoluti fieri velit. Ulterq; per literas amicus noster,  
haud multum à dicti Expansioni natura aberrat, univer-  
so quasi finito substrati, de quo citatum Prognoris:  
Astr. Dan. luculenter agit.

Caterum ut in hoc Discursu breviter mentem  
meam aperiam, existimo triplicatum esse Subjectum,  
quod radios lucis Astrorum in hac inferiora, è Divino  
in Creatione verbo, super terram lucentium, excipit,  
nempe Expansum, Aér purior, & Aér faculentior;  
quorum primum universum possidet Natura spirituali  
similimum: Ceteri autem duo singuli suis, à centro ter-  
ræ, spatijs elevati sunt.

Primò, Expansum illud esse puto, quod materiam  
Cœli nominamus, quodq; universum occupat, & ideo  
cœlestes influentias, una cum luce Astrorum in aera  
defert, ut terra velut subjecto, ratione dispositionis  
hujus, & in ea vigentium, juxta decreta Astrologia, <sup>vel</sup>  
potius Divina, distribuat. Hujus igitur beneficio  
fit, quod ut Lucis radj, sic visus noster in instanti in  
Objecta se exerat.

Secundò. Proximus aér purior est, qui tellurem  
circumdat. Hunc autem Elementi nomine à Philoso-  
phis insignitum, nec tamen in sacra Genesi nominatum,  
à Globo terreno, qui simul aquis constat, originem tra-  
bere puto: Cui peristasi verosimile est Solem, Lunam  
& reliqua Astra cœlestia similes, suo modo, sortiri  
velut de Luna in Astr: Dan: lib: Theor: pag. 192  
differueram.

Aéris autem hujus purioris ultimum terminum à  
terra superficie haud ultra 12 miliar: G, vel ad sum-  
mum 13 apud nos, Optica ratio circa Crepuscula in  
demon-

demonstrationem trahit, qua extat probl: I lib: z  
Sphær: Astron: Dan:

Hunc autem aërem Animantibus in terra degen-  
tibus maximè utilem esse, tūm pro respiratione, tūm  
quogvisu nostro, in aliquo intermedio, quod corpuscula,  
veluti atomos, babet, exerendo; tūm deniq; auditu,  
sono, aëris percusi impulsu, sese tandem in aures insi-  
nuante. Neg, enim in solitario Expanso hac & plura  
absg Elementi aëris beneficio mortalibus cōtingerent:  
Nam ut piscibus aquâ, sic Animantibus aëre subtracto,  
extingui ac mori necessum fuerit.

Tertiò est Aér fœculentior, hoc est evaporatio  
ē terre marisq; quasi sudore, aëri puriori se immiscens,  
& calorem ex Sole & Astris temperans, Hujus autem  
terminus, qui Atmosphera Recentioribus vocata radio  
finitur, apud nos hyberno tempore vix  $\frac{3}{4}$ , astivo vero  
vix ad duplum hoc est  $1\frac{1}{2}$  mil: Ger: exsurgit, quibus  
media aëris regio, in qua Meteora hærent, determi-  
natur. Nam præter experientiam, etiam hac disparitas  
in diversis locis, diversisq; anni temporibus, causas ex  
angulo reflectionis radiorum Solis diverso dicit.

De utraq; autem aëre à Sphærā communiter por-  
rò affirmandum, quod in arte Chymica seu Spagyrica  
fieri videmus. Nam velut beic materia copiosa atq;  
aquosa ē fundo Alembici, igne in sublime subvehitur,  
donec subtilia ex eā sursum elevata fuerint, crassiori-  
bus non longè à fundo promotis; Sic calor ex igne sub-  
terraneo, unā cum radīs Solis & Astrorum, ea qua

subtiliora sunt, sublimat, & in puriorem aërem convertit, crassioribus, velut Meteoris, non longè à superficie terra remanentibus.

His Diaphanis Lucis sic expositis; nunc ad ipsius naturam atq; évépyeisav seu exaltationem considerandum, veniamus. Quod ut melius fiat, nonnullæ ejus similia intra Atmospharam contemplabimur, quatenus illa Experientia nobis demonstrat.

Primam borum Experientiam nobis moneta argentea, in fistulam aquæ plenam injecta, subministrat, quemadmodum scilicet à fundo in aspectum elevari videtur, idq; cum quadam profunditatis proportione. Idem fit fundo fistula aquam continentis, albo, vel maximè lucido colore tincto. Nec aliam causam habet Refractio baculi obliquè in undas immisi; dum enim ab omni punto teretis colorati radij descendant, imaginem hujus continuâ lineâ rectâ refractè nobis exhibent.

Secundam Experientiam nobis offert incendium ignis longinquò satis itinere oculis nostris visi, Nam & illuc crassus aër incensus in altitudinem se longè supra horizontem, ubi exsistit, exaltat, & undiq; ad visum delatat. Unde Lucretius Epicureus Pöetæ existimavit Solem non multò majorem in Cœlo esse, quam oculis nostris apparet; cuius falsum judicium, inter alia, umbra terræ in Eclipsi Lunari satis redarguit.

Tertia Documenti species etiam intra Atmospha-  
ram deprahenditur, evaporationibus copiosis op-  
pletam. Ecquid enim aliud est, quod vaporibus in-  
terdum crassioribus interjecto mari incumbentibus,  
littora Scandica aduersa, ut & alia ibidem objecta,  
longè hec nobis situ vero elevationa videantur? Qui  
quidem vapores postea in tempestates, vel pluvias re-  
solvuntur.

Quarta deniq; Experientia ea est, quod hyber-  
no tempore, tellure nive obtecta, quemadmodum adi-  
ficia aliquantulum à visu disita, extra interjectum  
montis jugum, in aspectum exsurgunt, qua rursus  
estivo tempore, ex eodem loco, & statione sensibiliter  
satis suis designatis partibus infra visibilem horizon-  
tem subsidunt, idq; in vera ac probata sua altitudine  
fundamentali; sive hoc fiat ob exhalationes crassiores,  
è nive; sive visibilem lineam horizontalem inde illu-  
minatam, & sic objectum coloratum in ascensu  
secum trahentem.

Ab hisce Experientijs, alijsq; heic, brevitatis Causâ, omisssâ,  
hunc colligimus Aphorismum, nempe, Lucem in Astris propter  
Atmospheram, & hujus qualitatem, magis quam obliquitatem,  
exaltari, ideoq; circa horizontem maxime, idq; linea continua cum  
astro à centro terra, parallela, dum hujusmodi lucis exaltatio in  
instanti sit, quocunq; in Cœli loco phænomenon suum fuerit; nec  
ob tenuissimam Expansi, quod subest, naturam, linea ista parallela  
variatur, etiam per diversa Diaphana transmissa, dum semel in  
specie, seu forma astriper circulum verticalem, ad modum Dena-  
rij in aquam mersi, scandit, ut quoq; Cleomedi placuit.

Porrè quia etiam ab experientia cognoscitur, quòd in Sphera admodum obliqua, Atmosphera longè superficie i terra propinquior fuerit, ut puta obliquiore repercussionis angulo è radijs Solaribus existente. Unde Hollandi commoratione in nova Zembla anno 1596 hanc longè habuere contractiorem & crassiorem, adeò ut refractionem Solis illis ad  $4\frac{1}{4}$  gr: in horizonte se extendisse, sint experti: nam in pari lucis exaltatione Sphera minor angulum visionis majorem parit.

Interim haud negligendum, id quod à J. O. didici, nempe Crepuscula in Norvegia manè ac vespere, longè quam in hisce locis durabiliora esse; hinc colligitur quod aer purior, unde ista siunt, altius ibidem extendatur.

Refractiones autem ad ratam ubiq; hypothesin, cum quibusdam id frustà conantibus, ( licet è verioribus, quam illi, principijs, hoc cum B. D. uberiori aliquando differemus ) restringere impossibile fore ducimus, imprimis ob causarum, id est vaporum diversitates in locis, temporibusq; anni diversis; sed tantù ab Experientia cum Dn. Tychone nostro, easdem rectè sub quovis in Globo, Climate &c metiamur; De quibus ad polum Uraniburgicum 35 gr: 55 m. Tabula Refractionum in Sole, Luna, pariter & Stellis, Progym. pag. 79. babetur, ubi genesis ipsius, mox ex precedentibus percipitur: Item lib. I Theor: Astr: Dan: pag: 159 eadem extat.

Interim pro Observationibus cœlitis, exantlandis, quippe, que in Astronomis usum veniunt, precavendum, quantum fieri potest, videndumq; ut Sidera observanda in ea ab horizonte, altitudine habeantur, quam à Refractionibus libera esse queant. Si vero id minus fieri poterit, tunc opera danda est, ut Φαινόμενον ignotum à nota Stella, in Distantiā per Sextantem habenda, in altitudine ab Horizonte, cum bac aequali, quam proximè fiat: Nam talem distantiam Refractio insensibiliter variabit. Altero vero, si penes horizontem Planeta, &c. in altitudine observandus fuerit, eidem pro Refractione eximenda, Tabula prædicta Refractionum adhibebitur.

## De Tubo Optico.

Instrumentum quod Telescopium seu à forma Tubum Opticum vocant, primitus nostro tempore, ut plurima alia, ab ingeniis Belgis inventum, deinde à Galileo Italo insigniter, circa multiplicationem quantitatis visibilium specierum, ampliatum, & nunc tandem Neapoli Italiae elaboratum, ac Parisios (velut ad me D. Morinus scribit) delatum, tante amplitudinis, ut Martis Sidus instar Luna, Lunam vero ipsam ingentis areæ magnitudinem in terra representet. Cujus quidem optici Instrumenti nuncius longè supra Sidereum Galilei, indies exspectatur. Hoc igitur Opticum Organon, vel aliud simile, et si plurima in Cælo patefaciat, Dn. Tychoni nostro, & Predecessoribus Astronomis prorsus ante agnita: parum tamen (meo iudicio) ad Astronomia redintegrationem faciliurum. Astronomia siquidem non tam Sidera ipsa, & horum corporum cœlestium accidentia, quam motus ipsorum, ac certas periodos scrutatur, Symptomata Astrorum, optice amplius consideranda, Physica relinquens. Interim autem, si quam penes motus vim suam Tubus exerat, id tum circa Eclipses Luminarium, tum appulsum Luna, ac Planetarum ad fixas Stellas, aut Planetarum inter se, maximè sit, ubi notandum, quod semper distantias, eodem tempore, majores inter duo Phænomena, atq; visus simplex, ostendat, dum radios binorum vicinorum Siderum, quos ceteroquin visus quasi conjungit, distinctè separaret; Propter quod hec Mechanicis, observatis Priscorum Astronomorum, & imprimis Ptolemai, qui Luna & Planeta-  
rum appulsiis plurimum usus est,  
applicanda venit.

F I N I S.

Ad

*Ad Clarissimum Virum Dnm. M. CHRISTIANUM  
S. LONGOMONTANUM, Astronomum  
Excellentissimum.*



Ens assueta vehi super astra virumq; per ora.  
Præter non sinit ire fugaces  
Ævi hujus sine fruge dies: molitur in usus  
Multa novos singitq; stupenda.  
Omibus exemplo es, Longomontane, perennis  
Oræ Arctœ Gloria. Namq;  
Non contentuseras, vegetis labentibus annis,  
Tardas consumpsisse notandis  
Syderibus noctes, qvando domus alta Codanis  
Nostræ stabant Atlantis in undis:  
Verum ea tentabas digesta volumine certos  
Ad gyros numerosq; vocare.  
Illos in cœlum fert Gens vicina labores:  
Nec minus hocce tui monumentum.  
Excelsi ingenii collaudat Persa, probatq;  
Fuscus Arabs, atq; accola Nili.  
Quid memorem Mundo non ante parabile! RECTOS  
EX CURVIS reperisse MEATUS.  
Scilicet in tenues Fama est abitura favillas,  
Acri sit nisi partalabore.  
Magne Senex, ad magna novus nunc te excitat ardor.  
Dum Turris se tollit in auras  
Regia, Nile, tuas æquans splendore superbias  
Pyramidas: sacrata peritis  
Æthereæ Sophiæ, vaga inobservata per annum,  
Ne labantur Sidera Danis:  
Interea æterni formamq; modumq; Theatri  
Tradis, & Organa debita quæq;.  
Quæspatia ostendis metiri fulgida Cœli,  
Atq; illis sua ponere jura.  
O felix, cui nunc in terris sic datur uni  
Celsa inter dominarier astra!

*Georgius Fracmæ.*